



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 29. Mors Herodis Agrippæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

vulgaris, ut eam nec mulieres ignorarent. Non debet confundi S. Marcus Evangelista, cum Joanne, qui Marcus cognominatus est, filius Mariæ, & Barnabæ affinis, nam iste cum Saulo erat in Oriente, cum Evangelista esset Romæ, aut Alexandriæ.

Sæculum I.
A. C. 42.

S. Petrus Roma Discipulos emisit, ut fundarent Ecclesias in diversis Italiæ locis, vicinisque Occidentis Provinciis; ita ut Sæculis sequentibus constaret, neminem in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa, Sicilia, & vicinis insulis Ecclesias instituisse, præter eos, quos S. Petrus Apostolus, aut Successores ejus Episcopos posuissent, aliorumque Apostolorum nulum in his Provinciis prædicasse. Multæ Ecclesiæ primorum suorum Episcoporum nomina retinent, quos S. Petri Discipulos fuisse volunt, sed tales traditiones plerumque incertitudine laborant, & posterioribus sæculis S. Petri Legatorum titulo decorabantur, qui S. Sedis Romanæ auctoritate missi erant.

*Innoc. ep. 1.
ad Decent.
init.*

§. XXIX.

Herodis Agrippæ mors.

Rex Agrippa summum Sacerdotium a Mathia abstulerat, & Elionco, Cithi filio dederat. Anno tertio, quo totius Judææ imperabat, Cæsaream venit, ut

*Jos. XIX.
ant. c. 7.*

E 3

ludos

Sæculum I.

A. C. 42.

Act. 12. 23.

ludos pro salute Cæsaris celebraret. Altera solemnitatis die mane Theatrum conscendit, sedet, perorat ad populum; pallium indutus erat argenteum, miræ arte contextum, cuius fulgorem incidentes solis radii geminabant. Tunc quidam ejus palpones diversa e regione acclamare: *Vox Dei est hæc, non hominis.* Ipse tolerabat hanc blasphemiam, sed illuc ab Angelo percussus, acutissimos viscerum dolores sensit, inquiens ad circumstantes: *Ecce! jam Deo vestro moriendum est.* Reportatur in suum Palatium, unde prospectus erat ad populum omnem, in terra cum mulieribus, & infantibus prostratum, ut a Deo Regis sanitatem postularent; sed nihil impetratum; obiit post quinque dies a verminibus corrofus, annos natus 54. anno Regni sui septimo, ab illo tempore, quo eum Caligula ex carcere traxerat, sub quo regnavit annis quatuor, tribus vero sub Claudio. Quatuor reliquit liberos; filium unum suo nomine Agrippam dictum annorum septendecim, & tres filias, Berenicen Patruæ suo Herodi Calcidis Regi anno ætatis decimo sexto nuptui datam, Mariannem, & Drusillam innuptas.

Rex Agrippa nihil eorum ommiserat, quibus Judæorum amorem sibi conciliaret; cum fuisset natura mansuetus, beneficus, & usque ad prodigalitatem liberalis.

beralis. Nihilo minus quamprimum de-
cesserat, Cæsareæ & Sebastes, alias Sama-
riæ incolæ defuncti memoriam injuriis
prosecuti sunt. Milites filiarum ejus sta-
tuis ex Palatio raptis, & in loca infamia
deportatis summa indignitate illudunt.
Cuncti festos publice agebant dies, odora-
ti, & coronati floribus. Libationes Cha-
ronti offerebant, & bibentes Regi ani-
mam exhalanti propinabant. Agrippa
filius Romæ erat, Imperatoris cura edu-
catus; & Claudio quidem eundem mit-
tere, ut pro Patre regnaret, voluntas
fuit; sed liberti, qui ejus animum, quo-
cunque vellent, inflectebant, Agrippam
per ætatem regno ineptum dixere. Ergo
Cuspius Fadus in Judæam cum Imperio
missus. Tamen Claudius Agrippæ Regis
memoriæ dedit, ut non mitteret illuc
Marsum Syriæ Prætorem, utpote quibus
inimicitia intercessissent; immo Marso
successorem dedit, prout sæpe ab Agrip-
pa rogatus fuerat, fuitque is Cassius Lon-
ginus. Mandatum primum, quod Fadus
a Claudio accepit, erat, ne Cæsareæ, &
Sebastes habitatorum arrogantiam, & in-
gratitudinem relinqueret impunem.

§. XXX.

Prædicatio Pauli, & Barnabæ.

Saulus interim, & Barnabas persevera- *Act. 13. 6.*
bant in prædicatione Evangelii. Post-

E 4

quam

Sæculum I.
A. C. 42.